

persecutionem schismatis patiebatur) in iusticiis & fieri orationes, processiones, ieiunia, & alia opera bona. *Tom. 2. part. 4. a col. 634. ad col. 651.*

S. GREGORII MAGNI homilia, in qua euangelium pro more exponit. Primum autem quare iudæis Angelus, Gentibus vero stella apparuerit, rationem reddit. Secundò, duritiam cordis Iudæorum arguit, qui locum Christi nati nouerant, & tamen cum Magis adorare eum noluerunt. Tertio Mathematicos, siue Astrologos iudiciarios efficacissimis argumentis conuincit. Quarto, quid designant munera à Magis Christo Domino oblata diuersis explicationibus declarat. Vltimò, quid sit per aliam viam in propria redire iuxta topologicam sensum, ostendit. *Tom. 3. homil. 10. in Euang. col. 24.*

S. GREGORII NYSSENI in diem luminum, in quo baptizatus est Dominus noster oratio, de solo Christi baptismo noster differit, quod non est præcipuum huius festiuitatis mysterium. *Tom. 2. pag. 798.*

S. GREGORII THAVMATVRGI sermo in sancta Theophania, hoc est de Dei apparitione, in baptismo Christi facta, *pag. 30.*

GVERRICI ABBATIS in Epiphania Domini sermo primus, in illud. *Psal. 28. Afferre Domino Filij Dei, &c.* cuius summarium sic se habet. Cum satius sit Christo Domino afferre & offerre munera, quam sanguisugæ concupiscentiæ, cuius filia insatiabiles semper dicunt. *Afferre, Affer.* Ipsi saluatori afferamus gloriam auri, honorem thuris, myrrham sepulturæ eius: nec enim etsi pauperes & egeni ab istis religionis officijs arceamur; habemus siquidem diuitem pauperitatem, & locupletem nuditatem. Ad eor ergo redeamus, & thesauros desiderabiles inueniemus in nobis reconditos: bonus profectò thesaurus myrrhæ, dolor in corde, labor in corpore; bonus thesaurus thuris, deuotio in voluntate, bonus thesaurus auri, sapientiæ in nostra mente, Myrrha oblatio est incipientium, thus proficientium, aurum perfectorum. Si autè non sufficit

A manus nostra ad offerendum aurum sapientiæ; aut thus deuotionis, saltem cor contritum corpusque afflictum; cum amaritudine penitentiæ Christus non despiciet. *a pag. 68. ad pag. 76.*

Eiusdem, sermo secundus in illud *Isaie 60. Surge illuminare Hierusalem, &c.* Docet Christum natum non adhuc notum, hodie apparuisse Caldæis nouissimis iudicio, Iudæis Ioannis non solum sed Patris & Filij testimonio, discipulis suis aquæ in vinum conuersæ miraculo; Christum Dominum luminis assimilat; Patres & Prædicatores stellas mysticas vocat, quorum si sequamur lumen præuium facile inueniemus Iesum. *a pag. 76. ad pag. 83.*

Eiusdem, sermo tertius vnde supra; de nostris agit tenebris, & spiritali illuminatione nostra, quæ illuminati lumine fidei veræ, iustitiæ & scientiæ tanquam radijs solaribus, peruenire possimus ad patriam claritatis æternæ. *a pag. 83. ad pag. 91.*

Eiusdem, sermo quartus, probat hanc die Christianitatem natam esse: cum enim tria sint, quæ nos faciunt Christianos, fides, baptismus, & altaris participatio; hodierna dies fidem nobis in stella nuntiavit, baptismum in Iordane consecrauit, ac mensæ cælestis miracula in mutatione aquæ in vinum præformauit. Hortatur autem ut in conscientia pura fidei mysterium habeamus, & veri Christiani, non nomine tenus, simus. (Vbi multa de veris Religiosis, & falsis qui speciem pietatis habentes, virtutem eius abnegant.) Consolatur verò peccatores, qui post baptismum lapsi, secundum baptismum penitentiæ præ se habent. Vbi septem virtutes humilitatis Christi occasione sumpta ex eo quod Naaman Syrus septies in Iordane, iuxta Helisei iussione, sic baptisatus, enumerat. *a pag. 91. ad pag. 100.*

GVILLELMI PARIENSIS sermo in solemnitate Epiphaniæ Domini, in quo ex verbis *Isaie cap. 3. In hoc apparuit Filius Dei vt dissoluat opera diaboli.* Qualiter & quare soluatur apparuit; qualiter & quare eius apparitio